

**Dissertatio inauguralis medica de convalescentia vera et spuria ... / auctor et respondens Henricus Alexander Saher.**

**Contributors**

Saher, Heinrich Alexander.  
Delius, Heinrich Friedrich von, 1720-1791.

**Publication/Creation**

Erlangae : Ex officina viduae Camerariae, [1773]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/fn4hnj7c>

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA  
DE

# CONVALESCENTIA VERA ET SPURIA

---

Q V A M  
SVMMI NVMINIS AVSPICIO  
ACADEMIAE FRIDERICO ALEXANDRINAE  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO

## CHRISTIANO FRIDERICO CAROLO ALEXANDRO

MARGGRAVIO BRANDENBURGICO BORUSSIAE SILESIAEQVE  
DVCE BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI VTRIVSQVE  
PRINCIPATVS REL. REL.

---

EX DECRETO GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
P R A E S I D E

### D. HENRICO FRIDERICO DELIO

SERENISS. MARGGR. BRAND. ONOLD. ET CVLMB. CONSIL. AVL.  
MEDICINAE PROFESSORE PRIMARIO  
ACAD. IMP. NAT. CVRIOS. ADIVNCT. REG. SOC. MONSPELIENS.  
ET ACAD. SCIENT. ET ART. RHOTOMAG. SODAL.  
FACVLT. MED. H. T. DECANO

---

### PROGRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS  
PRIVILEGIIS ET IMMVNITATIBVS LEGITIME OBTINENDIS  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

HENRICVS ALEXANDER SAHER  
BARVTHINVS.

---

D. IANVAR. CIO IO CC LXXIII.

---

ERLANGAE EX OFFICINA VIDVAE CAMERARIAE.



H O R A T.

*Sperat infestis, metuit secundis,  
Alteram sortem, bene praeparatum  
Pectus. — —*





DE  
CONVALESCENTIA  
VERA ET SPURIA.

---



§. I.

alamitosis temporibus, per Dei gratiam, superuiximus itaque! atque in eorum locum meliora succedere videntur. Ea enim nouissimorum annorum facies fuit, vt ex *annonae caritate*, e coeli partim intemperie, partim ex aliis causis, oriunda, per vniuersam fere Germaniam, et vltra, tristia sane fata suborta sint, atque mortalium ingenuorum *vota, de temporibus melioribus*, certe per hoc emensum stadium iusta fuere. Dira enim *fames*, dira grassata est *inedia*, ex qua, et *iniqua* quoque *diaeta*, plures mortalium trucidati sunt, vt inde quoque, accedentibus variis, et indiuidualibus, causis, et animi pathematibus, malum ad alios quoque transierit, quibus non adeo cum fame erat dimicandum. Sed ipsa aë-



*vis inclementia*, per hosce annos, aliquod symbolum attulit, dum humida praecipue eius constitutio corruptioni humorum etiam fauit, atque ex parte solidorum robur confregit. Larga hinc fuit morborum messis, atque aegritudinum *epidemicarum* varium, et longe lateque serpens, pro variorum indiuiduorum dispositione, schema.

## §. II.

Quamuis autem non vna, neque semper plane appropriata, a variis medicis, his morbis opposita fuerit medendi methodus, vanam tamen saepiuscule fuisse et eorum operam, audiuius, qui, licet optimis methodis instructi, morbos tamen plures auerruncare non poterant, dum non vbique suffecere talia indicata, quae vitae vires, functionesque vitales, inducta sic conueniente nutritione, sustentare valebant, aut vbi pathematum animi vis, et variorum negotiorum rationes, plus arte valebant. Sed et euasere tamen, quae fuit Dei gratia, plures ex periculossissimis morbis, varium schema prae se ferentibus, atque *paraphrenitides putridas, typhum, febres varias biliosas, malignas, phlogisticas* quoque, *petechias, purpuram, febres acutas nervosas, cet.* diris saepiuscule symptomatibus v. c. deliriis, spasimis, haemorrhagiis, deliquiis, stipatas, non plane nouas, pluries et sporadice visas, attamen proxime elapsis temporibus, ex suis causis, magis epidemicas, sub congrua methodo, superarunt, atque feliciter cum sanitate rediere in gratiam. Plures lente admodum vires collegerunt, aut recidivas passi sunt, plures diu adhuc cum sequelis, cum metaschematismis prioris morbi, colluctarunt, nati sunt languores, consumptiones, tumores, hydropes, vlcera, atque alius ex alio secutus est morbus. Nunc  
au-



autem dum rediit coeli serenitas, dum nutrit rura Ceres, almaque faustitas, dum prospectum est salutis publicae, dum liberiores sunt, interclusi hactenus, commeatus, statim imminuta sic est strages, imminutae morborum epidemicorum causae, ut *votum* tantum, non iterum interruptae, sed ulterius, et perennaturae, nostrae felicitatis, *meliorumque temporum*, supersit.

## §. III.

Sed, si etiam statum praeteritorum morbosorum temporum nunc mittimus, ea tamen est, et perennans, mortalium conditio, ut ex pluribus causis in varios morbos incidere possint, qui et *acuti*, et *chronici*, audiunt. In his vero *spes* alit aegrotos, de reditu cum sanitate in gratiam, est desiderium cessationis sensationum ingratarum, circumspiciunt de malorum medelis, de remediis, quae functionum legitimum successum restaurare valeant, unde *conualescant*. In ipsa autem morbi cuiusdam periodo, vario modo de semetipsis iudicant, ita ut nunc in *peiora* ruere, nunc in eodem *statu* permanere, nunc saepiuscule *permutari*, nunc *alleuari*, sibi videantur. Idem iudicium ferre solent adstantes, cognati, alii, ita, ut, quando de statu aegroti cuiusdam fermo instituitur, nunc audiamus, eum leuiter tantum aegrotare, nunc in magno periculo, nunc in mortis articulo, versari, nunc inconstantem, multis complicationibus stipatum, esse morbum, nunc eum conualescere. Sed erunt fere, qui schematum morbi, *symptomatum actiuorum* et *passiuorum*, efficaciae causae morbificae, et alteratarum, et reagentium, corporis partium, *invasionis* porro, *incrementi*, *status*, *declinationis*, *temporum cruditatis*, *coctionis*, *criseos*, ignari, haud semper rite determi-



nare queunt, quid fit, suo tempore *laborare* morbo, quaenam sint tempora *exacerbationis* et *remissionis*, quaenam sint *signa restitutionis*, vel *permutationis* etiam, variae: vnde e singulis tantum apparentibus formant conclusiones, saepe his, quae vere adsunt, contrarias, aut varia quoque, non semper in aegrotorum veram salutem, moliuntur. Eo maiori autem opera *medicum* decet instituire *diagnosin* morbi, sedem eius, et effectus, obseruare genium, quo functiones procedant, comparare phaenomena, in statu sano et aegroto occurrentia, concludere e phaenomenorum *analogia*, instituire *anamnesin*, et eruere causas morborum procatarticas, considerare, in indiuiduis, functiones alteratas, et facultates viresque superstites, vt inde, ea, qua fieri potest, cautione, et *prognosin* formare queat, et, ad amussim ponderatis singulis, et comparatis inter se vniuersis, BOERHAAV. *aphorism.* §. 13. tum determinare, *an in periculo* versetur aegrotus, *un spes restitutionis* supersit, vel, quando *melior nunc valetudinis status* videatur, *an conualescentia* vera sit, vel dubia?

## §. IV.

Prouti *sanum* eum vocare solemus, qui, pro ratione aetatis, sexus, temperamenti, debitaque conformationis, proque vario vitae genere, et consuetudine, facultate et aptitudine, ad exercendas homini proprias *functiones* vitales, naturales, et animales, non tantum, sed et ipso exercitio, eoque leui et satis constanti, gaudet; sic eum aegrotum communiter vocamus, in quo *functionum laesionem*, indeque pendentia symptomata, animaduertimus, quamquam causa, vel remota vel proxima, vnde in hanc functionum  
lae-



laesionem inciderit, non semper statim pateat. Quando autem functionum consuetarum integritatem redire, seu huius reditus initium, obseruant, tum *conualescere*, hucusque, aegrotum perhibent, et futuram praedicunt conualescentiam, et, confirmandam vltterius, sanitatem, quando nunc imminuta esse, vel cessare, ea symptomata opinantur, quae pro periculosis reputarunt.

## §. V.

At quam varia sunt, quae demum *salutarem* aegroti, et *status morbofi in meliorem, conuersionem* determinant! Quam egregie falluntur, qui *omnem apparentem statum mitiorem* aegroti *pro vere bono* habent! Certe et hic quadrare videtur, quod, si meliora, in vniuersum, tempora, et prosperiora fata, perpefforum malorum fines, perturbatarum rerum fortunatos exitus, seu negotiorum felices successus, sperant, oborta nunc mutatione quadam, faepiuscule audimus, alia tantum, proflare, non meliora. *Es werde anders, aber nicht besser.* Saepe enim post *inducias* nonnullas, in peiora ruere res, animaduertunt, et, nunc incrementa cepisse mala, dolent: *Es werde der letzte Betrug ärger, als der erste.* Vt itaque etiam illud rite determinandum sit, quid sit in morbis, quod malum appellamus, vnde statum peiorem nuncupemus. Non enim semper *vis vitae* maior, quae sese morbo opponit, non semper motus aucti, quibus, GALENO *de causs. symptom.* Lib. V. inquit, colluctatur contra ea quae adfligunt, donec arietando commouerit et confregerit omnia, perniciem intendunt, sed *natura*, sub qua nunc complexum hominis virium, e corporis *mixtione, organisatione, et animalitate*, pendentium, intel-



telligimus, saepissime conatur, et, ex SYDENHAMI Sect. I. Cap. I. *de morb. acut. in genere*, asserto, omni ope, in salutem aegri, materiae morbificae exterminationem: atque, analogiam sequente, PROSP. ALPINO *de praesagiend. vit. et mort. aegrotantium*, Lib. I. C. I. natura, perinde ac arcis alicuius praefectus, in corpore desidens, a morbo, perinde ac duce aliquo exercitus, ipsum corpus tanquam arcem oppugnante, defendere studet, et corporis acerrimus defensor, ne morbo succumbat, pro viribus operam dat. Malum est bellum, sed, si nulla alia ratione fieri potest, eo pax paritur. Igitur et eo saepe opus est, ut ipsa pax pariat. Sic et suis, quanquam molestissimis saepe, et *inuoluntariis*, natura viribus, motibusque, utitur, ad materiam profligandam morbosam, ut itaque, quamdiu hi motus, ut moti molesti, vigent, male se habere aegrotus videatur, qui tamen, ut exterminetur noxium, in suam salutem, laborat. Cum contra, si, aut incongrua methodus, aut morbosa quaedam materia, vires supprimat, et, suo tempore, aegrotus neutiquam sine periculo sit, quamvis non admodum dolere videatur.

## §. VI.

Triplicem morbi cuiusdam exitum si spectamus, is abire solet in *sanitatem*, in *mortem*, in *alium morbum*. Itaque si, missis nunc varii exitus speciebus, morbum in *sanitatem* abire concludere velimus, opus est *criteriis*, unde hunc meliorem statum sperare, aut eum nunc praesentem diiudicare, fas est. Supposito nunc, materiam morbosam quandam, ortam, vel e naturalibus, non naturalibus, vel praeternaturalibus, *rebus*, *caussisque internis*, vel *externis*,  
hae-



haerentem vel in fluidis, vel solidis, vel vtrisque simul, iisque vel generatim sumtis, vel adfecto *loco* particulari, alterasse corpus: produxisse, pro varia eius indole, effectus morbosos, *f. symptomata*, eaque *passiua*, quae a v iet efficacia materiae propria pendent, et *actiua*, quae *vim* et reactionem corporis viui inuoluunt: et vtraque, prouti nunc ex his *schema*, typusue, morbi apparet, vnde et *nomen* adipiscitur, et vnde ratione durationis, vel acutus, vel chronicus quoque, audit; tum in cunctis his functiones ita laeduntur, vt rite procedere nequeant: imo, nisi semper exquisiti dolores, tamen ingratae sensationes, oriuntur, et desiderium cessationis earum. Cessantibus autem his, *leuamen* aegrotus sentit, idque vel quoad nonnullas, vel quoad singulas, adfectiones, nunc subito, nunc sensim, succedens, cum *restitutis*, proportionate, *functionibus consuetis*. Dum autem caussa quaedam morbum creans, sic adfuit, effectibus cessantibus, ad sublationem caussae quoque concludendum videtur, ita tamen, vt et *leuamen*, quod dicimus, *verum* sit, scilicet cum restitutione functionum, nunc iis, quae in statu sano adsunt, similia, iunctum, et constans. Vt autem de caussae sublatione certi esse possimus, oportet praecipue indagare *modos*, quibus forte sublata caussa sit, *vias*, quibus recte eliminatum est, quod adfecerat. Hisce enim non rite ponderatis, conualescentia, quae nunc apparet, dubia, et spuria, esse potest, siquidem aut effectuum saltem moderamen proficit, palliativae instituta est, caussa interea non plane sublata, vt conualescentiae loco *languor* magis sequatur; vel materia morbosa locum, et indolem, mutauit, orta *metastasi* quadam, suo tempore alios et alios *metaschematismos*,



*reuolutiones*, prodiura. Neque minus oportet medicum schema morbi obseruare, siquidem ex indole motuum, nunc remittentium, nunc intermittentium, nunc suo tempore exacerbatorum, apparet, quid de apparente quoque leuamine sentiendum sit, et expectandum, vtrum illud constans futurum sit, vel rediturum *paroxysmum*.

## §. VII.

Leuamine itaque praesente, et redeunte praecipue *appetitu*, *somno reficiente*, et *viribus proportionatis*, *motuque voluntario*, necesse est, vt aliquid sublatum sit, quod hucusque aegritudinis causa existit. Atque cum haec sublatio, et alteratio corporis, tendens ad sanitatem, *negotium secretionum et excretionum* inuoluat, quatenus ipsis naturae viribus, et auxilio medici, *coctio* et praeparatio materiarum, earumque *subactio*, et *eliminatio*, peragitur, ad isthoc negotium respicere medicus praecipue debet, vt pateat, quid demum actum sit, quo modo, quo tempore, alteratio quaedam salutaris, et excretio, processerit: an in morbis breuibus v. c. *febre ephemera*, vel insensibilis transpiratio restituta, aut sudor, aut diuresis, aut vomitus, diarrhoea, morbum soluerit? an cardialgia, vertigo, asthma, cordis palpitatio, colica, *cet.* sublata sit, discussis, seu euacuatibus, angustantibus, *flatibus*? an porro, pro indole morbi, *crudum*, et turgens quoddam, euacuatum sit, vel, proportionatis motibus, coctum? an per *vias securiores* euacuatio facta sit, vel fecus? an cum impetu, vel sensim, seu *criseos* ope, vel per *lysin*, actuetur excretio? an *copia*, et *indoles*, excretorum respondeat causae morbi, interdum singulari, eiusque effectibus; Conf. ill. PRAESID. diff. de



de *efflorescentia labiorum* §. 15. an porro excretio quaedam apparens sit effectus coctionis, vel sit *epigenomena*, ex singularibus causis saepe, *regiminis* ratione, et medicamentis quoque, vel aliis adsumtis, oriunda, vel ex *complicatione* saltem: an *apto tempore*, praesertim *non nimis copiose*, nec *nimis parce*, nec *nimis tarde*, vel in corpore iam debili, et remittentibus iam naturae viribus, procedat.

## §. VIII.

Minus itaque tuto *in principio morbi* cuiusdam ad futurum statum meliorem confestim concluditur, si saltem e *symptomatum* periculorum *absentia* ratiocinantur. Quae enim non statim adsunt, ea subuenire queunt in morbi incremento. Facile hanc assertionem illustrare, possunt *vulnera*. Quanquam enim, praeter continui solutionem, vel haemorrhagiam quandam, nihil praesto esse videatur, tamen posteris diebus ex inflammationis et suppurationis negotio, febres, dolores, spasmi, eorumque sequelae, neque minus, ex indole partis affectae, consensus morbose, sinus, fistulae, caries, nouae haemorrhagiae, oriri queunt. Vt quoque ipsa symptomatum absentia haud adeo semper laudanda sit, siquidem non operante natura, et sibi relicto vitio, illud in deterius ruit: vel quoque, ruente iam in deterius vitio, ipsa natura iam succumbere videtur, veluti iam HIPPOCRATES Lib. V. *aphor.* 66. ingens malum praedixit, si magnis vulneribus, et pravis, tumor non appareat, deficiente scilicet debita sensatione, et debita, quae ad depurandum et consolidandum vulnus requirebatur, humorum congestione.



## §. IX.

Quemadmodum rursus, si *in principio morbi sympto-*  
*mata* grauiora, actiua praecipue, §. 5. *adsint*, non statim  
 ad summum periculum concludendum videtur, si vrgeat ma-  
 teriae indoles eiusdem subactionem, vel exterminationem,  
 et necesse sit, vt, si primis motibus, primaque *inuasione*,  
 nihil, vel non satis, efficiatur, motus sic *incrementa* capiant,  
 donec ad *αυμην* perducantur, et, fugato hoste, nunc  
*declinent*; sic scientia et prudentia medici requirit, vt mo-  
 tus hos aestimet, neque sedando, nimis mature, motus,  
 naturæ arma e manibus quasi extorqueat, sed tantum,  
 dum ipse, bona methodo, eam iuuat, et ducit, quo salu-  
 tariter vergit, nimiam actiuitatem compescat, vires conser-  
 uet, vt ordine, et tempore, scopo potiatur.

## §. X.

Symptomata autem, cum et *nimis intensos*, et *nimis*  
*remissos*, motus inuoluant, rite consideranda sunt, ne ex  
 absentia auctorum, molestorumue, motuum, statim in portu  
 aegrotum nauigare, credamus; cum motuum omissio, vel  
 suppressio, infidum omnino signum conualescentiae submi-  
 nistret. Nisi enim effectum est, quod fieri debebat, ex  
 quam causa statum meliorem hariolabimur? Sic ite-  
 rum, quando, in acutis praecipue, deliria, interdum fu-  
 riosa, sedari videntur, haec permutatio non aliter salu-  
 taris appellari poterit, nisi simul adfuerint signa factae ali-  
 cuius excretionis, ex qua diiudicare demum possumus,  
 vim vitae superasse onus; cum contra, nisi effecta fuerit,  
*resolutio*, *discussio*, *coctio*, *excretio*, timendum sit, naturam  
 ma-



magis sub pondere succubuisse. *Ati* itaque labores tantum vere *iucundi* erunt, nec leuamen, ante actos labores, iuste concipiendum est. *Leuamen* itaque *apparens* tantum est, quodsi, dolores sedatos esse, animumque redire, videtur, absque rite peracti laboris testimonio. Tum demum salus aegroto promitti potest, si functiones et in morbo ad statum naturalem accedant, vel consuetam seruant typum. V. LOMMIVM in *obs. med.* pag. 26. 27. 28. Neque ipsa quaedam excretio satis fida est, nisi eam ipsam sequatur leuamen, quamuis hoc demum euenire possit, si ea fuerit absoluta. Medicus hinc saepiuscule longe aliter de meliori aegrotantium statu iudicat, quam adstantes forte, rei, quae geritur, ignari. Potest enim v. c. aegroti *vultus*, pathematum index, antea, ex irritante ingrato, *toruus*, mutari in *serenum*. Lactus utique nuncius frons aegroti serena, si ea factam quandam, et vtilem, excretionem, mutationemue, significat. Dubia vero facies, et spuria est conualescentia, si actum nihil, vel non id, quod sufferit, est. Hic enim non triumphus vitae de morbo statim canendus est, sed saepiuscule tristis prognosis, de letali motuum remissione, formanda. Aliaque ratio est aegroti, hilari nunc animo, et composita mente, terrena linqnentis, aut status corporis, breui emoritur, *obliuiosi*; alia autem est meditatio medici, quatenus talis, cui magis ad restitutionem aegroti, quam ad accelerandum, calcandumque vltimum hunc gressum, ad laborandum est, cuique, ea propter saltem, iste status displicet. Conf. ILL. PRAESID. Orat. *de vultu sereno morientium.* p. 7. Quodsi itaque, post varias morbosas adfectiones, quibus autem recuperata sanitas non est, vt potius *languor* successerit, subito redire



*conatus quidam, seu iucunda consuetudo, videtur, dubia, spuriaue, admodum inde refulget conualescentiae spes, dum magis adfectarum hucusque partium atonia, insensibilitas, motuum morbosorum oblitio, praesto est. Et quemadmodum, ex HIPPOCRATIS effato, Coac. praenot. n. 97. 98. deliria ea pessima sunt, quae circa necessaria versantur; sic ea, quae secundum consuetudinem, et necessitatem quandam, in iis morbis, fiunt, vbi magis ad averruncandam mortem, laborandum erat, dubium admodum signum salutis, tantum non breui secuturae mortis, exhibent. Itaque si hectica, imo et alia maligna, febre decumbens, nunc fistulam, nicotiana herba repletam, antea consuetam, diu in morbo neglectam, iterum poscit, vel vini, aut spiritus frumenti, haustum: certe *appetitus* iste, si eueniat in debilitate, neque sublato morbo, *spurius* est, et *desipientia*, ideoque non conualescentiae signum. Sic alii subito, aluum deposituri, e lecto tolli rogarunt, deposuerunt aluum, breui extincti sunt. Haec alui exoneratio, pro circumstantiarum ratione, non restitutae functionis consuetae signum, sed vltimorum spasmodum sequela, fuit. Quot alii, quasi aliud agendo, iocando, extincti sunt, pro conualescentibus, falso, habiti! praecipue si ea mutatio ab hucusque *solito* recesserit. Conf. LOMM. obs. med. Lib. III. p. m. 276. 277. de *mente et moribus aegroti.**

## §. XI.

Eadem fere ratio est *apparentis status melioris in febribus nonnullis malignis.* Saepiuscule enim aegroti ita ad se redire videntur, vt inde optima quaeque sperare iube-



iubeant. Redit animi tranquillitas, cessat inquieta corporis iectigatio, respiratio leuis est, perstant exanthemata, *cet.* et tamen, spem praeter, aegrotus breui, et tranquille satis, diem obit supremum! Status itaque, qui melior videbatur, admodum spurius fuit, et magis remissionem virium, quam functionum restitutionem, indigitavit. -- *Malignitatis* vox diu in pathologiam et semeioticam introducta est. Non vna autem est eiusdem notio. Nonnulli eo admodum abutuntur. Aliis asylum dubitationis est. Aliis terminus inanis, et expungendus. Sed iusta lance ponderemus. -- In genere enim omnis morbus malignus appellitari poterit, ex quo, si materiam, si symptomata, spectes, singularis corruptio humorum, vel organi cuiusdam, ipsum denique mortis periculum, timendum est. Iam, vbi v. c. aperta, et putrida, acrisue alia, humorum, partisue, corruptio, mortisque periculum, cernitur, ibi benigni morbi vocabulum vsurpari nequit. Sed moris tamen est, febres malignas eas potissimum appellare, vbi nerui praecipue, sensoriumque commune, ita adficiuntur, vt aegroti mente non constent, *cum singulari inprimis debilitate*, ex qua tum se - et excretiones, imo ipsae motuum administrationes, haud ita succedunt, vt emolumentum ex his sperare possimus. Eo grauius itaque aegrotare videtur, qui minus sibi ipsi, vel aliis, videtur. Prostat aut copia morbosae materiae, neruos comprimens, aut ea subtilis adeo est, vt vbique penetret, et organa sensuum et motuum labefactet. Motus itaque haud rite, et pro peccantis materiae indole, consuetouae typo, administrantur, quae tum remanens, vel haud satis subacta, corpori interitum minatur. Admo-



modum autem saepe difficile est, periculum ibi statuminare, vbi motus lenti, aequabiles, apparent. Sed haec est *insidiosa* illa, et saepe sine febre, *malignitas*, prouti a nonnullis, haud iniuste, vocatur, quando sub apparentibus signis status melioris, tranquillitatis, imo interdum sensuum integritatis cuiusdam, aegrotus tamen ex hac vita discedit. Vt ideo medicus signa occurrentia provide diiudicare debeat, et computare motus, motuumque ordinem, eorumque ad suas sequelas habitum; vnde tamen ex analogia, experientia, et eorum, quae fiunt, obseruatione, ad prognosin formandam, data quaedam subnascuntur; saltem cautio, ne ex absentia grauiorum, ad sensum, symptomatum, ad certitudinem status melioris, antequam tempus est, concludamus, cum, ex antiquo dicterio, sub *pulsu sano, urina sana, aeger moriatur.*

## §. XII.

At enim vero, saepiuscule ingratae sensationes sublatae, et valetudinis in statum meliorem conuersiones perfectae, videntur, absque tamen apparente singulari quadam excretionem? Sic, v. c. si in *soda, cardialgia*, quando ab acri quodam, ventriculum, et praecipue eius orificium superius, pungente, oritur, propinatur puluillus absorbens, vel liquor alcalinus, vel potus diluens, abstergens, tum perit ingratiissima saepe talis sensatio: *vertigo* stomachalis, digestiuo, vel carminatiuo quodam, tollitur: *lypothermicus* spirituoso quodam neruino excitatur: *Debilitatem* febrilem analepticum, cardiacum, quoddam, vel et cortex peruvianus, tollit. *Desiderii* cuiusdam *expletio*, insperatum gaudium, saepe breui aegrotum sanat. Vidimus *nostalgiam*, eius-



eiusque effectus, v. c. melancholiam, tabem, *cet.* sublatam, simulac de reditu in patriam, seu alium desideratum locum, certiores redditi fuerint aegroti. - Moralitatem desideriorum hic non discutiendam sumimus. Sed *amorem occultum*, morbi causam, detexit iam in ANTIOCHO, regis Syriae, SELEVCI, filio, et, STRATONICAE connubio procurato, sanavit aegrotum ERASISTRATVS. Conf. Cl. MOEHSENI *Sammlung von Bildnissen größten theils berühmter Aerzte.* Berolin. 1771. p. 216. seq. Eodem, vel simili, stratagemate vñ sunt plures medici, ultra consuetos formulas sapientes. Et consilium subministravit b. GELLERTVS, in fabula: *Die kranke Frau.* Felicem medicum! quem aegroti causam morbi non celant, neque conualescentiam nimis seuerè exposcunt: vel qui, et morales, causas, rectè tollere potest, aut saltem ita aegrotum mutare, vt gerendis, cum alacritate quadam, negotiis par sit! Consideremus, itaque, quaeso, sequentis nunc status melioris modum, et sequelas. Nonne tamen, sub ipsis molestis sensationibus, etiam vna vel altera se - et excretionum naturalium turbatur, sufflaminatur? nonne vna vel altera postea ex his restituitur? vel sublato eo, quod affligebat, et expleto desiderio, restituitur naturalis functio organi, ex qua restitutione reliquae etiam functiones, ideoque et se - et excretiones, pergunt. Sic in strictura, quae est in soda, cardialgia, secretio liquorum entericorum turbatur, accedit alui constipatio, supprimitur insensibilis transpiratio. Sublata autem causa, saepiuscule referatur aluus, succedit liberior transpiratio. Vertiginem stomachalem saepiuscule sequitur vomitus, diarrhoea, aut flatuum molestantium eructatio. Post lypothymiam, excitante quodam sublatam,



circuitus ipse sanguinis liberior redditur, et cum eo liberius succedunt se- et excretiones. Analeptica et cardiaca, debilitatas, et saepe adhuc a materia febrili obsesas, partes, nervosas praecipue, stimulant, inde id, quod stagnauerat, mobilius redditur, ulteriusque per aluum, per sudorem, vrinam, exanthemata, *cet.* eliminatur. Animo tranquillo reddito, vel dum quis particeps voti, cupiti, redditur, languentes partes eriguntur, et ad novas se componunt functiones. Conf. ill. PRAES. *Abhandl. von der Frölichkeit.* §. 5. 6. 29. 38. Vt itaque, ex hac oppositionis discussione, nouum nascatur, pro ea sententia, argumentum, statum meliorem in morbis succedere factae cuidam excretioni, quae tum pro eo meliori declaratur, si iusto tempore, ordine, copia, electo securo excretorio organo, succedat.

## §. XIII.

Excretiones itaque, si conualescentiam post se trahere debent, suo mensurandae sunt modo. Ante coctionem, et praeparationem, raro bonae sunt, nisi quidem humores turgeant, atque robur naturae sufficiat, vt breui eisdem integre expellat, aut saltem maximam partem, quo reliqui magis subigi queant. Laudabilior est excretio, si ea motus rite praeparantes, e selecto organo iusto, absque iniuria eiusdem, sequitur, si, in febribus praecipue, decretoriis, s. criticis, diebus euenit. Vnde etiam medico incumbit, *tempora in morbis*, rite discernere, eluctatorios, et euacuatorios, motus, quanquam molestos, non turbare, sed excretiones debito tempore iuuare, atque promouere. Ipsa autem excreta, quando praegressae fuerint



rint coctiones, et coctionis speciem prae se ferre debent. Conf. LOMM. l. c. p. m. 31. 33. de *signis iudicationis*, et b. BRENDÉLII diff. *de coctione pathologica*. Sic v. c. dum *peripneumonia* sputis iudicari debet, tertio vel quarto die sputum cruentum, vtut in principio crudum, non adeo extimescendum est, si modo sequentibus diebus *pus coctum* excernatur, vt inde staseos in pulmonibus, et inflammationis, discussionem, illius, quod stagnauerat, suppurationem, absterfionem, et postea laesionis consolidationem, sperare possimus. Quodsi autem postea nil nisi phlegma crudum, mucus sincerus, tussi reiicitur, excretio haec minus bona existit, siquidem stasis remanet, noua incrementa capit, atque in deterius viscus pulmonis vergit; siquidem et hanc excretionem, leuamen non excipit, vt potius febris magis succedat, et vel pulmonis sequatur gangraena, suffocatio: vel, si et aegrotus non statim moritur, in vomitam, vlcus pulmonum, empyema, phtisin, incidit. Conf. ill. PRAES. diff. *de excretionem sincera insida*. §. 9. sequ.

## §. XIV.

Ipsae porro secretiones et excretiones, si ex iis conualefcentia speranda est, ita comparatae esse debent, vt iis tollendae materiae morbosae fieri possit satis, *Nullam e. g. febrim curari sine sudore*, antiquum prouerbium est. Immo saepiuscule ipsa experientia confirmatum. Sed quando v. c. in tali peripneumoniae statu, quem paulo ante delineauimus, sudores, praecipue tenues, aut colliquatiui quoque, tempore non critico, proueniunt, quantum saepe medicus fallitur, et ignaros fallit, qui, his su-



doribus nunc liberari aegrotum, enunciat. Parum contra his sudoribus efficitur, nisi resoluta vere fuerit materia in pulmonibus haerens, vnde tales sudores saepe magis symptomatici sunt, et effectus febris, angustiae, imo saepiuscule relaxationis, *nimiae* colliquationis, et fractarum virium, si praecipue *nimis sero* adueniant, ideoque et sine leuamine vero sunt. -- Huius furfuris aliae quoque excretiones sunt, si fontem morbi primarii non tangunt, et nimis sero quoque accidunt. Experiatur itaque v. c. aegrotus, febre putrida laborans, vel phtisi pulmonali, vel hydrope, demum *haemorrhoides fluentes*. Haec excretio, si praecipue olim consuetudinaria fuerit, ignaros admodum fallere potest, vt nunc eam pro re bene gesta, et detecta nunc morbi causa, sede, autument, et inde nunc certam sperent conualescentiam; verum saepiuscule spe excidunt, cum talis excretio fontem mali primarii non exhauriat, et saepe sit magis signum factae sanguinis nimiae dissolutionis, aut vasorum haemorrhoidalium relaxationis, congesti magis, et subsistentis, in reliquis visceribus cruoris. Quae ideoque tunc pro minus salutari declaratur, quo minus inde sequitur leuamen. *Conf. §. 10. supra.*

## §. XV.

*Conualescentia* porro non statim ex emergente noua quadam mutatione statuenda est, sed attendendum ad ea, quae sequuntur, ex quibus postea patefcere potest, an ea sit *secura*, *constans*, an *sublata* fuerit morbi *caussa e fundamento*, vt aiunt, an *resocillatus*, *palliatusue*, tantum aegrotus sit, an *in integrum restitutus*? vtrum stato tempo-



re in eundem, vel alium morbum, incidat? Equidem non est in medico semper, releuetur ut aeger, atque saepiuscule officio suo tamen fungitur, si, quem plane seruare, et in integrum restituere, vel ex aegroti culpa et regimine, vel ex loci adfecti, morbique ipsius integri, indole, nequit, eius vitam, quanquam ea maneat *valetudinaria*, tolerabiliorem reddat. Phtisin enim v. c. pulmonalem, renalem, vterinam, rhachitidem consummatam, nodosam podagram, hydropem ascitem, ex vitio vero abdominalium viscerum ortum, rarissime vere tolli, in aprico est, quanquam curet ita aegrotum medicus, ut moliatur morbum tollere. Interim, oborta mali reuolutione, curare potest, ne illud malum latius serpat, atque resolutione, excretionibus, motuum moderatione, roboratione, vitam integram, et partis, conferuet, nec, quamuis bona intentione, nimia actiuitate, nimio impetu, vel apparatu, nec nimis festinanter, morbum adgrediendo, aegrotum, qui tolerabilius vivere potuisset, pessundet. Conf. ill. PRAES. diff. de resolutione noxia. Cum sanitate itaque, congruo modo, aegrotus in gratiam redire potest, ut functionibus quodammodo exercendis par sit. In aliis autem morbis, medelam adhuc ferentibus, medicum non oportet *temporaria* quadam *conualescentia*, esse contentum, sed adlaboret quoque, ut *recursus*, et alius morbus subsequens, et *metaschematismus*, impediatur. *Paroxysmus* sic quidam *hystericus*, interdum *fatis grauis*, *suffocatiuus*, *epilepticus*, *maniacus*, *cet.* apta methodo tolli potest, restituta scilicet excretionem menstrua, quando ea paroxysmi causa existit. Verum, ne iidem motus statim tempore recrudescant, eademue scena ludatur, oportet interea, appropriatis remediis, et *ευκαιρως*



funtis, et liberioŕem sanguinis circulum, per viscera praefertim abdominalia, efficere, spasmos mitigare, aluum expedire, et congestionem, tum naturalem, versus vterum dirigere, et excretionem faciliorem reddere.

## §. XVI.

An itaque, et quatenus, morbus quidam sublatus fuerit, et aegrotus vere conualuerit? e dictis §. 4. 6. 7. 13. 15. determinari poterit, si praecipue ipsius conualescentis, qui ita dicitur, status praesens, cum eo, qui antea adfuit, comparatur: et saepe quoque *statui* cuidam *valetudinario*, cui iam quidam adfuetus esse potest, ita, vt, nisi athleticè viuere possit, sit tamen ipsi *propria*, et *relatiua*, *sua sanitas*, qualis fere omnium mortalium est. BOERHAAV. instit. med. §. 888. 1025. Vt etiam ex historia curati morbi apparere possit, *quomodo actuata sit conualescentia*. Non enim suppressio motuum nonnullorum, cessatio symptomatum pristinorum, solummodo effectam conualescentiam indicat. Sic *vitium* quoddam *topicum* subesse potest, quorum numerosissima exempla, summus post fata MORGAGNVS, *de sedibus et causis morb.* collegit, quo remanente, et immedicabili saepe, imo interdum vix coniectura quadam assequendo, infida est conualescentia, si et ad tempus symptomata quiescunt. Sic porro *febris* cuiusdam *intermittentis*, per variam methodum, suppressio, non inuoluit statim plenariam aegroti restitutionem, si minera huius morbi non plane sublata est, quae saepe breui post in infarctus viscerum, tumores, lentorem, tumores, cet. abit. *Scabies* varia haud plane, vel bene, curata est, si tantum cutis nunc iterum sicca, vel nitida, est, cum, si

re-



repressa sint, incongruo saepe artificio, exanthemata, earum materia ad nobiliores partes deposita esse potest, vnde grauior postea morbus exoritur. V. ACT. ACAD. NAT. CVRIOS. Vol. VIII. obseru. CIX. *Ulcer*a antiqua imprimis minus feliciter consolidantur, si solum constringentibus, exsiccantibus, tractantur, cum periculosa inde saepe metastases sequantur. Eadem fere ratio est *gonorrhoeae* per adstringentia, aut fortiora diuretica, suppressae, fonte non plane exhausto, neque debite repurgato. Calidiora carminatiua *flatus* dissipare, atque varia pathemata, inde oriunda, apparenter tollere queunt, vt inde, ad sensum, melior status sequatur. Verum actuatam irritationem, et dum quoque calidum medicamentum ad massam sanguineam delatum est, sequitur orgasmus, conualescentiae non testis. Operatio quaedam *chirurgica* instituta esse potest, ex qua functio laesa partis videtur restituta, vel causa laedens sublata. Conualuit itaque ex ea aegrotus, si vere, et constanter, functio redit. Sed vera non est conualescentia, si v. c. post depositam, vel extractam, *cataram*, visus quidem ad tempus redit, breui autem iterum perit, si forte ex choroideae laesione amaurosis, vel, ex vitrei quoque humoris effluxu aliquo, bulbi oculi collapsus, vel ex suppuratione hypopyon, oritur. *Paracentesi*, aqua, in cauo abdominis haerens, educi potest, et ad tempus leuari aegrotus, fontibus autem, vnde iterum intra hoc cauum colligi queunt lymphae et serum, adhuc praesentibus, perdurans leuamen non emergit, vt potius ascitidis recursus, vel ipsa mors, doceat, conualescentiam fuisse tantum temporariam, et spuriam. *Calculo* quidam, sectionis ope, liberari potest, qui tamen postea



stea hectica obit. Cum autem saepiuscule oporteat, ut medicus, si in integrum aegrotum restituere non valet, vitam tantum seruet, ita, si recte rem gesserit, imputandum ipsi non est, quod si et vitae seruatio succedat, cum perdita quadam functione partis, vel ipsius partis extirpatione, amputatione. Ut tamen, si forte postea *quaestio medico legalis*, de adhibita methodo, instituatur, culpa vacare medicus rationalis possit, omnem operam nauare debet, ne, si et secutam letalitem nunc mittimus, ipsi soli imputetur, si et functio quaedam partis perit, quam saepiuscule, e laesionis natura, in integrum restituere non valuit. Conf. ILL. LVDWIG *institut. med. forens.* §. 219. 348. 352. 354. sequ. -- Sicuti etiam medicum rationalem omnino decet, ut vaniloquentiae reus non sit, siquidem, si de vere, et feliciter, sublato morbo sermo est, apprime constare debet, vtrum et morbus, qui sublatus dicitur, talis vere fuerit, vel, vtrum *curatio* quaedam vere *magna* peracta fit, cum saepiuscule morbus quidam pro maligno, vel admodum graui, venditatur, qui, accuratori instituto examine, breuis, et benignus, fuit. Tacemus *simulatos morbos*, et modos, quibus aut conualescentia, aut fraudis tandem detectio, actuari potest: et varios modos, vnde, vi quasi, et *coactus* magis, status apparens melior extorquatur. Neque, porro *nimis cito*, et ante completam victoriam, triumphum canere oportet, neque de sublato cuiusdam molestissimi symptomatis absentia, vel sedatione, admodum gaudere §. 10. 11. 15. cum potius sequelae huius mutationis considerandae sint. Sic e sublatis, atrocibus interdum, *colicis doloribus*, nisi secuta sit excretio quaedam, nunc aluina, nunc calculi, nunc haemor-



morrhoidum, nunc menstruorum, *cet.* non statim, vera salus speranda est, cum et colicam saepe sequatur *parestis*.  
 b. IVNCKER. *Consp. med. pract.* p. 889. b. V. SWIETEN. *Comm. ad aph. Boerh. Tom. III.* p. 357. *Tussis ferina*, opiatibus praesertim, sedata, saepe *suffocationem* quandam pedissequam habet. Lateris punctiones in *pleuropneumonia* haud fausto omine cessant, quando interea, ad interuersionem, pulmo corrumpi potest. *Cruciatuum podagricorum*, momentanea inprimis, sedatio non admodum placet, cum toties eam sequantur *podagrae* sic dictae *retrocessiones*, dum materia locum mutat, viscera nobiliora occupat; atque vomitus, cardialgiam, asthma, colicam, inflammationes, apoplexiam ipsam, *cet.* producit. Spes autem status melioris emergit, si talis materia pristinum locum occupat, aut eam discussam aliae se- et excretiones salutare excipiunt, v. c. larga diuresis, diaphoresis, diarrhoea, purpura inprimis, scorbutica dicta. Eadem fere ratio saepiuscule est *oedematis*, si subito disparet.

## §. XVII.

Morbus nullus, si eiusdem causam, materiam scilicet quamcunque noxiam, spectes, pro bono reputandus est. Sed alia quaedam est ratio motuum, ad superandas materias morbosas, institutorum. §. 5. Quodsi itaque in pluribus morbis vario conatu contra materiam, vel vitium aliquod enatum, insurgit natura, tunc saepiuscule, laborante sic aegroto, rem eius non in melius, sed *peius*, verti, dicitur. Verum, si insuperabilem quandam causam, et effectam malam conformationem, restringamus, saepiuscule tamen, obortis nunc nouis motibus,



quanquam molestis, ipsa medela quaedam parari potest, ita, vt, si, post varium languorem, noui motus oriantur, saepe materiae quidem vim, sed simul vim quoque naturae, morbo oppositam, intueri datum sit, quibus motibus saepe, quod necesse est, absoluitur, quique *propterea non statum peiorem, sed meliorem* inuoluunt. *Conf. diss. de reuolutionibus morborum*, sub ill. PRAES. a D. KOELLE habitam, §. 4. sequ. Sic si languens aegrotus, e febre intermittente, incongrue suppressa, recidiuam febris huius verae, regularis, patiat, aut talis febris, post perpeffum languorem, appetitus deprauationem, vitiosam digestionem, icterum, cachexiam, *cet.* oriatur, his ipsis motibus saepiuscule caussa morbi aufertur, V. BOERHAAV. *aphor. de cogn. et cur. morb.* §. 754. et, si rite nunc morbus tractatur, aegrotus restituitur, ita, vt postea et aliis videatur, meliorem faciem nunc prae se ferre, ac antea, quam in hunc morbum inciderit. Ipsa *apoplexia* accedente febre, interdum soluitur. HIPPOCRAT. *Coac. praenot.* 479. *Purpura* sic, scorbutica dicta, admodum arthriticos, et podagricos, leuat, quanquam et, sub motibus, sua patiantur. *Vomitus* saepe vertiginem, praecordiorum angustiam, tollit. Sub *Colicis* doloribus saepe haemorrhoides, menstrua, cum euphoria, erumpunt, alius liberatur. Imo cur *parturientibus* accedunt dolores praeparantes, referantes, excludentes, nisi vt his foetus in lucem prodeat, atque mater a gestationis hucusque incommodis liberetur?

## §. XVIII.

Possemus nunc hucusque dicta vberius exemplis illustrare, si praesertim *classes, genera, species, et varietates*, morborum per-



percurrere velimus, aut morbos *peracutos, acutos, chronicos, internos et externos*, atque quemuis secundum commune, aut proprium, *schema*, signaque *diagnostica, pathognomonica, et prognostica*, sigillatim expendere, et, secundum quemuis, docere, quaenam sint, in quouis, verae, vel spuriae, aut ambiguae, conualescentiae signa. Verum ea tractatio dissertationis academicae limites multum excederet, qua propter vela magis contrahenda nobis sunt, cum, quae in genere enunciauimus, ad casus specialiores applicanda suo modo sint, qualem applicationem etiam in variis exemplis tetigimus.

## §. XIX.

Illud tamen vt addamus necesse nobis videtur, *conualescentem*, §. 4. nondum esse perfecte sanum, sed e morbo, praesertim si is grauis fuerit, quasi *neonatum* aliquo modo debilem, vltius *confirmandum*. Itaque, quanquam functiones consuetae redire videantur, tamen, non equidem nimis delicatulo, sed prouido, opus est *regimine*, ne ex sex rerum non naturalium indistincto, liberioreue, vsu, nondum plane confirmatum, corpus labefactetur. Sensim itaque tantum conualescens consuetis functionibus adsuefiat, aëri moderatius se exponat, cibum potumque conuenientem, ad sustentationem et refectionem, certe habeat, non autem ad repletionem vtatur, eumque magis refracta, quam integra, dosi capiat, ne ventriculum, et chylopoieseos organa, grauet, atque in nouum morbum incidat.

v. *Diss. de refractis dosibus medicam.* a D. GEBAUERO sub ill. PRAES. habitam, §. 27. Quae cautela etiam in no-



focomiis obseruari solet. *Conf. cl. MONRO (Beschreib. der Kranckheiten in den Brittischen Feld - Lazarethten. Altenb. 1766. p. 222. Motum e quietem, somnum et vigilias, pro viribus, distribuatur et morbo resurgens. Animi pathemata moderet, neque his se abripi patiatur. Praecipue excernendorum et retinendorum rationem habeat, neque, si et continuatis excretionibus fiat morbi lysis, nunc orthostadius redditus aegrotus, eas sufflammet. Neque, si et exercendis certis quibusdam functionibus sufficientem se credat conualescens, se ipsum incautus fallat, vel exercitio quodam, haud prouide peracto, se pessundet, quorum varii corporis et animi labores, negotiaque nimis liberius peracta, pertinent, imo ipsum veneris exercitium, non apto tempore celebratum. Conf. et b. PLATNERI instit. chirurg. §. 420. not. \*\*.* Piscator ictus sapiat, et fugiat illud omne, ex quo conualescens in iustam, et ex sua culpa, reprehensionem incurrat, nec antiqui dicitur, et contra regulas diaeteticas peccatorum, quantum ab eo pendet, reus fiat: *Da der Krancke genas, ie aerger er was. Sequatur potius denique diuini seruatoris admonitionem, et vere medicum consilium, IOAN. V. v. 14. Ecce sanus factus es, iam non amplius pecca, ne deterius tibi aliquid contingat.* Dum autem etiam dantur, qui non sua culpa, sed pro officii, vitae generis, et vtriusque saepiuscule durius redditi, ratione, aegrotant, his certe optandum videtur, vt et conualescentiae, si ea contingit, regulas exsequi datum, licitumque ipsis, sit: cuius bona sua fors tribuatur, et, quousque possibile est, quisquis sua sorte contentus viuat, cuique, suamque sortem in propria commoda vertere, liceat.



## §. XX.

Optima ea sunt medicamenta, quae morbi causam tuto tollunt. Ideoque, cum, sublata causa, oriatur conualescentia, et vires recuperatae praecipuum efficiant conualescentiae signum; restaurantia optima, et incipientem nouam sanitatem confirmantia, medicamenta ea erunt, quae restitans forte adhuc morbosum tollunt. Itaque et conualescenti vtile erit, vt et talia medicamenta, quae iuuarunt, parumper adhuc continuet, et sic *apothepiam* quandam instituat. Si vero sola debilitas supersit, eam et *nutrientibus*, et *tonicis*, vtrisque *analepticis*, tollere adlaboramus. In nonnullis aegris sic breui redit virium, atque boni habitus, restauratio, vt et *faciem* longe laetior, ac antea, prae se ferant, sublato scilicet eo, quod adfligebat, cum contra, si solummodo plenior, imo saepe turgidulus, fuerit habitus, nec debitae excretiones peractae, dubius saepiuscule sit conualescentiae status, et facilis morbi eiusdem *recidiva*, vel eiusdem postea aliud schema. Dum vero cetera quadrant, facies collapsa, et habitus emaciatus, non adeo timorem iniiciunt, cum euacuationum inde signum emergat, et ex eo, haud raro, ad actos labores concludant, et dicant: *Er macht der Krankheit Ehre*. Sic sensim ad statum meliorem perueniunt, de quo vulgus noster loquitur: *sich wieder zusammenklauben*. Dum autem medicus sic et instantes morbos, et morborum variationes, et conualescentiae statum, etiam ex *faciei contemplatione*, colligit, ea certe non *fucata* esse debet, cum mos, inter plures feminas regnans, dum



varia *cosmetica*, et saepe cum sanitatis detrimento, adhibent, medicum possit fallere, vel confundere.

§. XXI.

*Curabiles* tandem cum adhuc *ii morbi* esse debeant, e quibus conualescere datum est aegrotis, sic nec medicus conualescentiam certo sperare, seu promittere, potest, nec ab eo desiderari ea potest, si iam ad incitas fuerit aegrotus redactus, vel vario modo deterior redditus, vel morbi natura, vel laesio quaedam, medelam respuit. Interim in collisione quadam medici officii ita se gerere potest medicus, vt, ne deferere videatur aegrotum, sincera prognosi se praemuniat, et tunc, aut partem, quem seruare non potest, et ne pars sincera trahatur, auferendam curet, aut nisi plane restituere valeat aegrotum, symptomatica mitiget. Valet hoc praecipue in curatione hydrophis, phtiseos variae, podagrae, cancri, *cet.* in quibus saepe iam conclamata res est. Ibi quidem, sub aliquali spe, indicationes caussales explere medicus potest, vel saltem expletionem tentare, vt tamen exasperationem mali caueat. Sicuti quoque et in curabilibus morbis nec *nimis citam* conualescentiam desiderare fas est, si morbi genius et suum tempus exposcat, v. c. scabies, quartana, *cet.* Dum autem et conualescentia, et ab ipso aegroto. ab autocratia naturae, a medico, naturae ministro, ab aliis circumstantiis, promoueri, retardari, mutari, possit, sollicite non tantum inquirendum est, *unde* conualescentiae status, verus, vel spurius, successerit, sed et *euentuum* rationes, saepe admodum variae, ex ipsa hac inuestigatione

ne



ne morbi, medelae, accessoriorum plurium, e consideratione climatum, consuetudinum, aetatis, sexus, et generatim individuorum, hauriendorum, determinari queunt. In omnibus vero optandum videtur, vt cuncta, quae ad hominum *felicitatem*, cuius non minima pars *sanitas* est, quantum in rerum hac vicissitudine datum est, pertinent, recte colineent: vt itaque, dum immortales hic reddi non possunt mortales, saltem, dum non omnes morbi caueri possunt, ex iis, si accidunt, e bona methodo, aptoque regimine, specificis decantatis, et vario ausu, et in intricatis morbis, potiore, nascatur sua cuique, et  
 vera, neque cuiquam molesta, vel inuisa,  
 conualescentia.

T A N T V M.

---

VIRO PRAENOBILISSIMO  
 DIGNITATEM DOCTORALEM AMBIENTI  
 HENRICO ALEXANDRO SAHERO  
 FAVTORI ATQVE AMICO SVO  
 LONGE AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IOANNES MICHAEL MEYERVS MED. CAND. OPP.

Summos in arte salutari honores, quibus iam ornandus es, cum omnibus bonis quidem ideo TIBI gratulor, quia TE illis dignum reddidisti: at peculiaris ratio me quoque mouet, vt voluptatem inde ortam publice TIBI paucis his declarem. Vocasti me nimirum [ad certamen publicum, quod hac occasione TIBI subeundum est. Vt lubens spartam beneuole a TE mihi delatam suscipio, ita felicissimos non tantum in hoc actu, sed per totam quoque vitam TVAM TIBI ex animo in antecessum opto successus. Dabam Erlangae VII. Ianuar. MDCCLXXIII.

VIRO





VIRO PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO  
DOCTORANDO SAHERO

S. P. D.

IO. DANIEL SCHOEPFF MED. CAND. OPP.

Ad arduum TE accingis, ad amplum Medici munus, doctissime Doctorande, nec summis laboribus, nec variis quae iuncta sunt, deterritus difficultatibus. Egregia enim industria, et indefessa diligentia, cuncta superasti quae futura sunt obstacula. Nunc ubi ad metam venisti, et ipso artis exercitio experiri cupis, quid aduersus atrocissimos, medicina possit morbos; conatibus TVIS, quos summum Numen secundet, bene ominor et gratulor. Gratulor et Patriae, et amicis et omnibus auxilium consiliumque abs TE sperantibus. Gratulor et denique mihi, cui gratissima TVA, suauissimaque uti licuit amicitia, quod publico in certamine aduersarium me esse volueris, qui Testis potius ero, strenuae TVAE et eruditae defensionis. Vale, me amare perge. Dab. Erlang.

d. VII. Ian. MDCCLXXIII.

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOCTORANDO SAHERO

S. P. D.

IOAN. GEORG. GODOFREDVS DOPPELMAYR OPP.

Nullis hac luce maioribus affici potuissem gaudiis, quam ut TE purpuram indutum videam, cinctumque tempora corona. Doctoris dignitas TVA, semper alta mente repositam diligentiam TVAM in scientiis medicis in memoriam nostram reuocabit. Ad me quidem hodie summus redundat honor, tecum in arenam disputatoriam prodire. Gratulor igitur TIBI summos in arte honores; ut summum Numen omnibus inceptis TVIS faueat, opto; ut amicitiae initaе, de qua hus vsque me commendare studui, faueas, peto. Vale. Dabam in alma

Friderico-Alexandrina d. IX. Ian. c1o 1o cc lxxiii

